

consilium, atque idè statim regem adiit, illumque de more adoravit. Est autem, adorare, inclinare se, et prono vultu aliquam in altero majorem dignitatem agnoscere: cujus rei nunquam in Scripturà non occurrunt exempla: lib. 1 Reg. c. 20, v. 11, David adorasse dicitur Jonatham; et iterum Saùlem c. 24, v. 9. Abigail Davidem c. 25, v. 25; eundem femina Thecutis lib. 2, c. 14, v. 4. Hæc porrò adoratio urbanus est modus captandæ benevolentiae, et placandi animi gravius offensi.

AD QUAM REX: QUID TIBI, INQUIT, VIS? NOVAM aliquam curam injecit regi tam insolitus et inopinatus Bethsabæe adventus, cum, ex quo ille rei conjugali ineptus esse cepit, neque illam, ut opinor, neque ullam è tantâ uxorum, concubinarumque multitudine ad se, aut vocaverit, aut admiserit, unâ contentus Sunamitide, non tam ad connubiale negotium, quam ad curandum frigidum et senile corpus. Aliquid ergo, et novum, et magnum suspicatus, rogat eequid acciderit novi, eequid à se exoratum velit.

VERS. 17. — DOMINE ME, TU JURASTI PER DOMINUM DEUM TUUM ANCILLE TUE: SALOMON FILIUS

*les yeux sur vous, ô roi, mon seigneur, afin que vous leur déclariez, vous qui êtes mon seigneur et mon roi, qui est celui qui doit être assis après vous sur votre trône. C'est cette prière qui doit être et dans le cœur et dans la bouche de toute l'Eglise, lorsqu'elle soupire après des pasteurs qui soient vraiment destinés de Dieu pour succéder à la dignité et à l'humble autorité du vrai roi David. Ce fut aussi celle des Apôtres, lorsque s'adressant à lui pour l'élection d'un successeur en l'apostolat de Judas, ils lui dirent: Montrez-nous, Seigneur, lequel vous avez choisi.*

Combien eût-il été difficile, en jugeant des choses humainement, de ne se pas déclarer pour Adonias plutôt que pour Salomon? Il était le fils aimé de David. Il avait pour lui le grand-prêtre Abiathar. Il se trouvait appuyé par le plus puissant du royaume, que David même semblait redouter, qui était Joab. L'on avait déjà immolé beaucoup de bœufs, de béliers et d'autres victimes pour solenniser la préconisation de son sacre. Il semblait que tout conspirât à renverser le premier ordre de Dieu. Mais cette prière de Bethsabæe: *Tout Israël jette maintenant les yeux sur vous, ô mon roi, afin que vous déclariez qui est celui qui doit être assis après vous sur votre trône*; cette prière, dis-je, appuyée de l'autorité d'un saint prophète, rétablit en un instant, comme on le va voir, toutes choses dans leur ordre, pour faire connaître à tout le monde que la prière de l'épouse est toute-puissante auprès du roi tout-puissant, et que c'est souvent, lorsqu'il semble que tout est perdu du côté des hommes, que Dieu commence à faire éclater ouvertement la force de son bras. (Sacy.)

TUUS REGNABIT POST ME, ET IPSE SEDEBIT IN SOLIO MEO. Quo loco David juraverit uxori Bethsabæe de Salomonis regno, non constat ex Scripturâ liquidò; sed est verisimile tunc de Salomonis solio jurisjurandi interposuisse firmitatem, quando mortuo parvulo, qui ex adulterio conceptus fuerat, illum eam ob rem graviter dolentem consolatus est. Neque obstat quòd tunc nondum erat Salomon natus, quia id tantum concedere potuit David, ut qui ex Bethsabæe primus nasceretur, quicumque ille esset, neque enim de illius nomine quidquam statuerat, in suo sederet solio. Quod deinde sæpè, licet Scriptura sacra id non expresserit, post Salomonem natum id juramento firmavit, præsentè fortasse Nathan, qui hoc non ignorabat, quando eà de re matrem admonuit v. 12. Aut fortasse hoc ipsum audivit à Bethsabæe, cui erat familiaris, pro eo quòd Salomonis, ut existimatur, magister fuit et pædagogus.

Quærent hic Hebræorum magistri cur, cum tot essent Davidis filii, neque quidquam à Deo de Salomone certum accepisset, designaverit tamen Salomonem regem, idque Bethsabæe matri jurejurando promiserit? Non dubium quin Dominus ex omnibus fratribus unum Salomonem ad regium nomen, et pondus evocaverit, idque notum fuisse Davidi, constat ex lib. 1 Par. c. 28, v. 5, ubi sic David ad populi proceres, quos ad id negotii undecumque ex Israelis finibus accersierat: *De filiis meis (multos enim filios mihi dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel, dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam et atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium.* Didicit hoc à Domino, ut opinor, sæpè; sed didicisse antequàm Salomon nasceretur, imò antequàm esset conceptus, multa suadent. Primum, quia David ipse hanc se à Domino vocem tunc accepisse dicit, cum de construendâ divinæ majestati domo cogitabat. Quod planè accidit longè antequàm Salomonis matrem è solario prospiceret. Cum autem promissio foret de filio non tunc nato, sed nascituro postea, neque post illud tempus ullum David filium præter Salomonem suscepisse, facile cognovit illum ad regnum fuisse vocatum.

Non dubito sæpè à Davide Bethsabæe uxori regnum esse promissum, postquam natus est Salomon, de cujus ipsâ dignitate laborabat, maxime cum ille, ut illa ferebat ætas, præberet multa, et præclarè indolis et singularis ingenii documenta. Sed et hoc idem pollicium

esse regem, quo tempore uxorem consolatus est, id est, antequàm Salomon lucem aspexisset, satis est, ut nonnulli putant, verisimile. Inter quos est Abulensis q. 50, et Hebræi, ut refert ibi, et Hieronymus in Tradit. Hebr. ad hunc locum; sed cur eo temporis articulo de Salomonis regno juraverit David, hanc rationem tradiderunt Hebræi; sic sanè Rab. David: «Cum David, inquit, vellet defuncto puero, qui natus fuerat è furtivo concubitu, iterum Bethsabæe jam uxorem legitimo cognoscere concubitu, illa recusabat, quasi omnes filios mors maneret immatura et præceps, ne videretur enixa puerum, sed peperisse æternam lamentandi materiam; sed David, ut illam demulceret, meliori jubet esse animo, docetque sibi promissum esse filium, qui in regni solio parenti succedat: illum verò futurum qui ex eâ nasceretur, juramento firmavit.» Alia etiam adducitur causa, quia cum omnes nõsset Bethsabæe, prodito legitimo ac conjugali toro, adulterinos congressus, adulterii censeretur rea, et omnes filii adulterini haberentur et ignobiles. Quare dicebat Bethsabæe videri sibi durum, si quotquot ex eâ nascerentur filii, hoc convicio aut alio simili jactarentur à populo. Ad quam David longè aliud futurum esse dicit populi judicium, Nam eum qui ex eâ nasciturus est filius, præferendum esse aliis, et regium occupaturum esse solium. De quâ re ne ulla posset esse dubitatio, jurisjurandi sacram fidem interponit. Quam explicationem probabilem facit id quod statim ipsa dicit Bethsabæe, v. 21: *Erimus, ego et filius meus Salomon, peccatores, cujus statim nos explicationem addemus.*

VERS. 20. — IN TE OCULI RESPICIUNT TOTIUS ISRAEL, UT INDICES EIS QUIS SEDERE DEBEAT IN SOLIO TUO. His verbis indicat Bethsabæe à Nathan propheta, ut opinor, instructa, penes regem esse, quem vellet ex filiis regno præponere. Atque adeò curandum non esse, quis illorum fuerit, aut ætate maximus, aut natu minimus, quasi regnum tribuat non ordo nascendi, sed regis voluntas; quam voluntatem expectat populus, quasi compertum haberet posse regem pro suo arbitratu de regno, regnique moderatore et capite statuere. Et quidem primis regum temporibus, ubi eà de re nihil erat à lege, seu consuetudine constitutum, ita factum arbitror. Nam aliis temporibus aliam fortassis regis creandi formam induxit consuetudo. Sanè Roboam Salomonis filius, cum multos haberet filios, Abiam elegit, cum tamen alii

forent non pauci natu majores, ut verisimile est ex lib. 2 Par. c. 11, v. 18. Cum enim duxisset uxores alias et concubinas, postremò loco duxit Maacha Absalomis filiam; ex quâ suscepit Abiam, postquam ex aliis, ut apparet, plurimos suscepisset filios; quem regem constituit, non quia primogenitum, sed quia regno magis putabat idoneum. De quo ibi: *Constituit verò (Roboam) in capite Abiam, filium Maacha, ducentem super omnes fratres suos: ipsam enim regem facere cogitabat, quia sapientior fuit, et potentior super omnes filios ejus.*

Aliis verò posterioribus temporibus aliud puto constitutum, aut legibus, aut consuetudine, quæ legis instar obtinet, introductum. Quod sumpsisse videntur Hebræi à finitimis regibus, quorum primogeniti solium occupant à patre regno vitæque defuncto, relictum. Sic sanè Egyptiis esse legitimum, docet illud Exod. c. 11, v. 5: *Moriatur omne primogenitum in terrâ Egyptiorum à primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ.* Idem constat de Moabitibus ex illo lib. 4 Reg. 3, v. 27, ubi de rege Moab scribitur: *Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnatus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum.* Idem etiam jam aliquot exactis seculis fuisse in usu apud Hebræos, satis, opinor, probat Josaphat, qui Joram primogenito filio regnum attribuit, neque alia reddidit causa, nisi quia fratrum suorum erat ætate maximus. De quo sic lib. 2 Paral. cap. 21, v. 3: *Deditque eis (nempe Josaphat aliis filiis) pater suus multa munera argenti et auri, et pensationes cum civitatibus munitissimis in Juda: regnum autem tradidit Joram, eò quòd esset primogenitus.* Deinde c. 21, v. 1, regnasse traditur Ochozias filius Joram: cur autem ille, cum esset fratrum minimus, ad regnum fuerit evectus, ea reddidit causa, quia fratres alii majores natu occisi fuerant, quasi illi ex lege aut consuetudine populi regnaturi fuerint. *Constituerunt autem habitatores Israel Ochoziam, filium ejus minimum, regem pro eo: omnes enim majores natu qui ante eum fuerant, interfecerant latrones.* De hoc jure plura disputandi non est mei instituti. Vide Abulens. super hoc c. q. 52.

VERS. 21. — ERITQUE CUM DORMIERT DOMINUS MEUS REX CUM PATRIBUS SUIS, ERIMUS EGO ET FILIUS MEUS SALOMON PECCATORES. Multum apud regem neque imprudentem, neque injuriæ immemorem, ponderis habere potuit ratio quam extremo loco posuit Salomonis mater Bethsabæe, quæ non magis de suâ, quam de

fili inculpitate et bono nomine, laborat. Accersivit, ut suo loco diximus, David Bethsabee, fecitque aut pro regiâ auctoritate, aut alio quovis artificio, ut, prodito legitimo toro, alterius libidini succumberet, quod populum latere non potuit, cum tam essent personæ graves, grave peccatum, gravis Uriæ injuria. Hoc verò flagitium et insignis infamia regio tegebatur aut premebatur nomine. Quare vivo ac sospite Davide, nihil sibi ac filio metuebat Bethsabee, etiamsi regnaret Adonias, quia patris auctoritas illius manus, quantumvis sceleratas, ab injuriâ et cæde cohiberet; at Davide mortuo timebat omnia. Atque ideò dixit: *Cum dormierit dominus meus rex!*

ERIMUS EGO, ET FILIUS MEUS SALOMON PECCATORES. Tales judicabuntur, aut quia Salomon de regno pulsus, Davidis ipsius judicio, indignus judicatur regio nomine, quasi adulteræ filius, aut certè ex adulterio susceptus, quem ex se natum rex ipse non agnosceret. (Quid enim mirum, si quæ semel fidem prodidit conjugalem, regium etiam thalamum alterius libidini intemperantiùs obsecuta temeraret?) Quare si rex Bethsabee ac filii nullam rationem habuisset, suspicari non nemo posset, et Salomonem à rege alienum esse judicatum, et matrem pudori suo minus consuluisse, quam pudicas deceret, et eas quas tanto reges nomine dignantur. Quod sensisse videntur Hebræi, qui ut in eorum Tradit. refert Hieronymus, dicunt, si è regno repellatur Salomon, judicandum esse manzerem, id est, de scorto natum. Sic enim explicat Hieronymus Deut. c. 23, v. 2: *Non ingredietur manzer, id est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini.* Aut certè, quod est longè verisimilius, existimabat prudens femina, quòd homines, qui de Uriæ cæde et de ipsius intemperantiâ duriùs sentiebant, atque etiam licet in occulto et cautè graviùs loquebantur (quia illorum linguas regis auctoritas ac metus conspexerat), postquam jam esset rex è mediò sublatus, loquerentur jam sine ullo metu et liberè, et de filio ac matre, facta atque inferta procaci evulgarent publicoque convicio.

Seu certè, cum priùs dixisset Nathan v. 12: *Salva anima tua, filiique tui Salomonis, verisimile est cogitasse tunc prophetam et nunc Bethsabee, Adoniâ regnante, sibi ac filio Salomonis fore pereundum, etiamsi nihil sibi sceleris foret admissum. Neque enim, ut supra diximus, qui in regno sunt, facilè ferunt esse in vivis eos qui eandem secum dignitatem*

ambire possunt, aut rebus studere novis, quæ statum regni moveant atque conturbent. Neque infrequens est aliquid contra insontes excogitari sceleris, quo illi magno suo merito de statu ac vitâ dejecti existimentur, ut fecit Achab contra Naboth: tunc autem hominum vulgo existimarentur peccatores, quia plerumque tales de statu ac vitâ deturbari solent.

VERS. 25. — ET NUNTIAYERUNT REGI DICENTES: ADEST NATHAN PROPHETA. Compositò et valdè attemperatè venit Nathan, quo tempore conquesta de Adoniâ fuerat Bethsabee. Erant autem, ut constat, atrienses pueri, qui servarent ostia, et eos qui salutatum regem, aut conventum vellent, aut admitterent, prout regi visum esset, aut excluderent. Hi ergo astare dicunt ad fores Nathan prophetam, quem cum videret ingredi, statim foràs est egressa Bethsabee, aut quia sic meliùs expeditum iri existimabat Salomonis causam, aut quia, cum rex arcanum semper aliquid solitus esset impertiri prophetæ, urbanitatis esse existimavit non interesse utriusque colloquio, in quo neque levia, neque vulgaria agitari, consuevissent.

CUMQUE INTROISSET IN CONSPECTU REGIS, ET ADORASSET EUM PRONUS. Quid sit adorare aliquem aut aliquid, in quo divini nihil sit, diximus supra, v. 16, ubi hoc ipsum fecisse traditur Bethsabee.

VERS. 24. — DOMINE MI REX, TU DIXISTI: ADONIAS REGNET POST ME? Nihil, opinor, magnum statuebat David, quod non priùs cum Nathan prophetâ familiariter contulisset. Quod indicavit ipse Nathan v. 27: *Numquid à domino meo rege exiit hoc verbum, et mihi non indicasti?* Atque ideò quasi miraretur quòd res tanta, se inconsulto atque inscio esset peracta seu incepta, rogat regem an ipse id statuisset, vel ignorante rege, id esset aggressus Adonias, sicut paucis ante diebus tentavit Absalom, aut saltem videret quid in eâ rerum novitate opus esset facto.

VERS. 25. — ILLISQUE VESCENTIBUS ET BIBENTIBUS CORAM EO, ET DICENTIBUS: VIVAT REX ADONIAS. An in regum auguratione publicum instrueretur epulum, quasi legitimum, incertum est. Instructum tamen aliquando constat, ut in secundâ Salomonis unctione, lib. 1 Paral. cap. 29, v. 21: *Imò laverunt victimas Domino, et obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille, cum libaminibus suis, et universo ritu abundantissimo*

in omnem Israel. Neque in primâ Salomonis unctione hoc regale convivium defuisse videtur; de quo Josephus, lib. 7, c. 11. Cum enim ageret de Salomone, cum in regio throno primùm collocatus est, ait: « Populus totus ad convivia festivitatesque animum advertit, choreis et tibiis sese oblectans, ut præ concentu instrumentorum terra simul et aer resonaret. » Neque est improbabile hoc idem contigisse, cum unctus fuit David in Hebron, de quo est indicium aliquod, licet obscurum, 1 Paral. c. 12, ad finem. Illud magis certum, acclamationes esse in regum augurationibus quasi legitimas, quales sunt: *Vivat rex feliciter*, et his similes quamplurimas alias. Sic lib. 1, c. 10, v. 25, electo Saule clamavit populus: *Vivat rex!* Idem accidit lib. 4 Reg. c. 11, cum Joas in regem fuit assumptus, et id in Salomone et Adoniâ compertum habemus et illustre testimonium. Acclamationes autem et preces hujusmodi apud nationes alias in regum renuntiatione solemnes profana sæpè prodit historia.

VERS. 28. — VOCATE AD ME BETHSABEE (1).

(1) *Le roi David ayant écouté Nathan, donna ordre qu'on lui fit venir Bethsabee, et lui dit avec serment: Je vous jure par le Seigneur que Salomon, votre fils, régnera après moi, etc.* Il n'est point marqué dans l'Écriture que David ait rien répondu d'abord à la reine, quoique la nouvelle qu'elle lui dit et la prière qu'elle lui fit fût assez pressante pour l'obliger de se déclarer dans l'instant même contre l'usurpateur de sa couronne. Il fut bien aise d'écouter Nathan, qui se présenta à lui dans ce même temps. Car comme il savait que Dieu lui parlait ordinairement par sa bouche, il jugea très-à-propos de ne rien faire sans son conseil, même en une chose où il ne pouvait douter de la volonté de Dieu. La sagesse de la reine ne paraît pas moindre que celle du roi. Car après lui avoir représenté ce qui se passait, et l'avoir fait souvenir de la promesse solennelle qu'il lui avait faite, de faire régner après lui sur Israël Salomon, son fils, elle se retire en voyant entrer Nathan. Elle ne s'empresse point de recevoir une réponse favorable, et elle abandonne cette affaire à la conduite de Dieu, de son saint prophète, et du roi, qu'elle savait être si équitable. Jamais peut-être on ne vit en une princesse, ni dans aucune autre personne beaucoup inférieure à sa qualité, une plus parfaite dépendance des ordres de Dieu, quoiqu'en une occasion si importante pour les intérêts de sa maison. Et on ne peut dire aussi combien cette conduite si pleine de foi et si humble était capable de faire violence à celui qui aime surtout la dépendance dans les hommes, depuis que le premier homme s'est perdu et a perdu toute sa postérité en affectant d'être indépendant de lui. Que si l'on regarde en même temps la sagesse du prophète, qui se contente de repré-

Egressa fuerat, ut diximus, foràs Bethsabee, ne videretur interesse sermonibus, qui inter prophetam et regem non videbantur futuri vulgares, quod observavit Josephus lib. 7, cap. 11. Quam rex, de Adoniæ consilio reque totâ certior, revocari jubet, et quod priùs non semel interpositâ divinâ fide promiserat, iterùm sub eadem firmitate promittit.

VERS. 29. — VIVIT DOMINUS, QUI ERUIT ANIMAM MEAM DE OMNI ANGSTIA! Familiaris erat Hebræis hæc jurisjurandi concipiendi forma, de cujus significatione alibi à nobis pluribus actum est. Cur verò communi formulæ atque vulgari addiderit David, *qui eruit animam meam de omni angustia*, ea videtur non aliena ratio, quia quò pluribus à Deo beneficiis cumulatus est, eò plurium est debitor, atque ideò constantior esse debet promissorum fides. Alioqui ingratus esset divinis beneficiis, cum juramentum, nisi illud consequatur certa fides, non tam servatæ sit religionis opus, quàm abjuratæ fraus et injuria.

VERS. 31. — VIVAT DOMINUS MEUS DAVID IN ÆTERNUM. Hæc usitata salutatio est, quam apud superiores et principes usurpare solent inferiores et subditi. Sic Chaldæi, cum primùm ad regium conspectum admissi sunt, principem salutant. Dan. c. 2, v. 4: *Rex, in sempiternum vive*, eodem item modo cap. 5, v. 9, cap. 5, v. 10, cap. 6, v. 6. Neque longè hæc salutandi forma ab illâ differt, de quâ

sententia au roi l'action d'Adonias, et de demander à ce prince si cet ordre était venu de sa part, après qu'il lui avait déclaré que Salomon devait s'asseoir sur son trône, on sera sans doute obligé de confesser que c'était Dieu même qui faisait agir selon les règles divines de sa sagesse ceux qui servaient en cela d'instruments à l'exécution de ses ordres.

David, ayant écouté Nathan, fait rentrer la reine, à qui il jure qu'il exécutera ce jour-là même la parole qu'il lui a donnée, de faire régner son fils Salomon. Et comme Nathan s'était retiré lorsque la reine entra dans la chambre, le roi le fit rappeler pour lui déclarer ses ordres. Qu'il serait à souhaiter que l'exemple de ce prince, de cette princesse et de ce prophète, servit de modèle à tous ceux qui sont chargés de la conduite des affaires qui regardent, non un royaume temporel, mais celui du ciel! Que d'empressements inutiles, que de démarches inconsidérées, que de conseils précipités et téméraires seraient arrêtés par la seule vue de cette sagesse également admirable en ces trois personnes, et digne d'être imitée! Il suffit de le toucher en passant, et ceux qui voudront y faire une plus grande réflexion, y pourront trouver une matière abondante pour nourrir leur piété et la lumière de leur foi. (Sacy.)

proximè : *Vivat rex Salomon, vivat rex Adonias.*

VERS. 32. — DIXIT QUOQUE REX DAVID : VOCATE MIHI SADOQ SACERDOTE, ET NATHAN PROPHETAM (1). Quemadmodum cum ingressus est ad regem Nathan, statim se subduxit Bethsabee, neque expectavit donec se inde rex juberet abscedere; sic etiam cum eadem Bethsabee ad regium conspectum revocatur, quamprimum foras se corripuit Nathan; alioqui non esset jussus ad eundem locum iterum reverti. Quod sanè urbanæ disciplinae atque modestiæ præclarum documentum est.

VERS. 33. — TOLLITE VOBISCUM SERVOS DOMINI VESTRI, ET IMPONITE SALOMONEM FILIUM MEUM SUPER MULAM MEAM (2). Observavimus ad

(1) *Le roi, ayant fait venir le grand-prêtre Sadoc, le prophète Nathan et Banaïas, fils de Joïada, leur dit : Prenez avec vous les serviteurs de votre maître; faites monter sur ma mule mon fils Salomon. Menez-le à Gihon, et que Sadoc et Nathan le sacrifient en ce lieu pour être roi sur Israël.* C'est une chose admirable de voir la manière dont Dieu se sert du péché de l'homme pour exécuter plus promptement les desseins de sa providence. L'ambition d'Adonias sert à assurer la couronne à Salomon. Son impatience ne peut lui permettre d'attendre que le roi son père soit mort, pour se faire déclarer roi. Et cependant, s'il l'eût attendu, et qu'il ne se fût point trop précipité, comme il est marqué que David ne l'avait point encore repris jusqu'alors, il eût pu, s'il est permis de parler des choses humainement, en se ménageant durant la vie de son père, se mettre en état de disputer après sa mort le royaume à Salomon. Mais il s'aveugle dans l'excès de cette ambition qui le possédait. Il se hâte de s'élever de lui-même sur le trône d'Israël. Et c'est cette élévation précipitée d'Adonias, qui donne lieu au sacre de Salomon. David, qui avait paru jusqu'à ce jour comme insensible, met tout d'un coup la couronne sur la tête de celui que Dieu avait destiné pour son successeur, et il élève Salomon au-dessus d'Adonias, lorsqu'Adonias se disposait à le fouler sous ses pieds. Si Dieu ne fait pas toujours de ces coups extraordinaires de sa justice et de sa puissance pour empêcher que les faibles ne soient opprimés, et que l'humble Salomon ne soit accablé par la tyrannie du superbe Adonias, c'est qu'il est bien aise de donner lieu à la foi de ses serviteurs d'être exaucée tant qu'ils vivent en ce monde de la vie de la foi. Il suffit qu'il ait fait connaître en quelques grandes occasions, comme celle-ci, la sévérité de sa justice. Et c'est à ceux qui méprisent présentement sa patience, à juger par ces effets passagers de son pouvoir, de ceux qu'ils éprouveront éternellement, s'ils n'ont soin de considérer autant qu'ils le doivent ces exemples redoutables qu'il leur propose pour leur salut. (Sacy.)

(2) *Mula rex vehebatur; atque capitale erat subdito eâ re uti, quam princeps in suum usum destinaverat. Hinc David imponi jubens*

c. 16, lib. 2, argumentum esse affectati regni, aut obtinendi prognosticon, si quispiam his rebus uteretur, quæ regiam personam aut comitarentur aut ornarent. Quomodo si regiâ uteretur stolâ, aut regio insideret equo, aut regium secum servum adduceret, qui tale exhiberet ipsi ministerium, quale antea regi solitus esset impendere. Quod Esther cap. 6, cupiebat Aman, dum vellet esse, aut existimari regi similis: qui cum sibi persuasisset Assuerum de ipso majorem in modum ornando cogitare, cum rogaret quid fieri deberet viro quem rex honorare statuisset, respondit: *Homo, quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regis, et imponi super equum, qui de sella regis est, et accipere regium diadema super caput suum, et primum de regis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, et per plateam civitatis incedens clamet, et dicat: Sic honorabitur, etc.* Hæc eadem penè exhiberi Salomoni filio jubet David; nam servos suos viros inter domesticos præcipuos adesse jubet Salomoni, qui regio tantum obsequio de more atque instituto vacabant. Sux deinde mulæ insidere præcipit, ac tandem in suo solio collocari, et cum adesse jubet regis traductioni atque inaugurationi Banaian, qui prætoriano præerat satellitiis, simul etiam jubet, ut custodia gratiâ adhibeantur illi quibus erat regii corporis credita custodia: atque ideò nihil non regium comitatur, atque ornat Salomonem.

ET DUCITE EUM IN GIHON. De Gihon nihil habemus certum; quidam montem esse putant, alii fontem, alii alia, quidam intra civitatis ambitum locant, alii è mœnibus extrahunt, quibus neque ullum est ex Scripturâ fundamentum, neque ulla gravis conjectura. Placet quod alii communiter probant, esse nempe fontem, quod ex antiquis tenent Hebræi, et Josephus lib. 7, c. 41; Hieronymus de Locis Hebraicis; Theodoretus, Procopius, Abulensis et alii. Ego ex nomine ipso conjecturam capio, ut credam fontem esse, aut rivum stagnumve oppositum fonti Rogel. Gihon enim nomen est fluvii, qui egreditur è paradiso, Gen. cap. 4, v. 13, qui Nilus esse dicitur; cum fluvius iste nobilis sit, et notus Hebræis maximè, qui non longè absunt ab Ægyptiis, fit, ut Nili nomen, aut ironicè aliâ de causâ, non solum fontibus, sed etiam rivis aut torrentibus imponatur. Sic sanè aquæ per tubos aut canales

mulæ suæ Salomonem, voluntatem suam erga illum satis luculenter aperiebat.

(Calmet.)

inductæ nobilium atque ingentium fluminum nomen assumpsere, et inter alia nomina Eurippi et Nili fuere frequentissima. Sic sanè docuit Cicero lib. 2 de Legibus, in principio.

« Ductus, inquit, aquarum, quos isti Nilos et Eurippos vocant, quis non, cum hæc videat, irriserit? » Hæc videtur licet obscure voluisse Theodoretus q. 2, ubi dicit, « Siloem cognominatum esse Gihon, vel tanquam valdè parvum per ironiam, vel quia ipse quoque exit ex obscuris sub terrâ meatibus, sicut Nilus. » Quòd si fons Siloe hoc tempore per tubos et canales esset intrâ mœnia civitatis inductus, sicut Ezechia regnante, valeret plurimum illa ratio, quam ex Cicerone nuper adducebamus; quòd videlicet aquâ eo artificio in aliquem locum derivatâ Eurippus appellatur Gihon, quem Ezechias avertit ad occidentalem partem civitatis David, habemus ex lib. 2 Paralip. cap. 22, vers. 30: *Ipse est Ezechias qui obturavit superiorem partem aquarum Gihon, et avertit eas subter ad occidentem urbis David.* Quo autem consilio aquas illas obturavit, et averterit Ezechias, habemus ex Ecclesiastico cap. 48, vers. 19: *Ezechias munivit civitatem suam, et induxit in medium ipsius aquam, et fodit ferro rupem, et edificavit puteum.*

Hunc porrò fontem, sive Siloe esse putes cum Abulensi et aliis, sive alium quemvis, procul esse à Rogel ex eo conjecto, quia non ignorabat David prope fontem Rogel factos esse illorum hominum conventus, qui regem proclamârunt Adoniam, et quibus instructum esset, non tam à rege, quam à regii nominis aucupe, geniale convivium. Quare cum ad Gihon deduci jubet Salomonem, id agit ne duo illi exercitus, quorum in diversos illos reges diversa sunt studia, si in eadem aut vicina loca coeant, manus inter se conserant, et illa inauguratio non sit futura sine sanguine.

VERS. 34. — ET UNGAT EUM IBI SADOQ SACERDOS. Abui, hic q. 36, putat reges olim quasi legitimo ritu juxta fontes, aut arbores ungi solere, et inauguratione solemnî reges salutari. Quod probat, quia Adonias unctus fuit, ut proximè vidimus, prope fontem Rogel, et Abimelec Gedeonis filius, ut ex c. 9 Judic. liquet, ad quercum Sichem. Sed mirum quòd aliæ unctiones, proclamationesque populares, neque ad fontes, neque sub arbore dicuntur factæ. Ego ita puto Abimelecet Adoniam locum elegisse desertum, quia ad illud opus et artificulum nullus videbatur opportunus magis,

neque rationem habuisse ullam, aut fontis, aut quercus. Non erat, opinor, in Sichem locus magis amplus et frequens quam ubi erat quercus, neque Adoniæ, cum esset prope Jerusalem, tutum erat in ipsâ civitate remtentare, patre adhuc vivente ac sospite, quam nemo bonus, et patriæ studiosus probaret. Quare locum elegit extra mœnia, extra populi frequentiam, ubi nullus à conjuratione alienus obstreperet, et fontis amœnitas stationem præberet commodam epulanti atque exultanti populo. At dices: Cur David ad fontem Gihon jubet Salomonem inungi? Sanè non sine causâ, ut quemadmodum Adoniæ Salomonem opposuit, sic etiam locum opponeret loco, amœnum amœno, extra urbem, sed urbi proximo, ut qui proclamatum regem audissent Adoniam, illi etiam brevi proclamatum et unctum nôssent Salomonem. Deinde quia magis solemnî esset regius ille progressus, si ex agro aut loco suburbano in civitatem ascenderet. Quemadmodum magis est solemnî et hilaris in nuptialibus sacris sponsæ pompa, cum ex agro in urbem cum facibus et symphoniâ in geniali ferculo traducitur.

ET CANETIS BUCCINA, ATQUE DICETIS: VIVAT REX SALOMON. Dixerat populus qui in Adoniæ causam conspiraverat, *vivat rex Adonias.* Neque, ut opinor, licet nihil habeamus à sacro textu, sine clangore buccinæ. Hoc ipsum jubet David ut fiat in Salomonis unctione, ut perstreptenti Adoniæ salutationi, obstrepat Salomonis acclamatio. Hæc, credo, erat in eligendo rege si non legitima, at certè apud Hebræos usitata forma. De cæremoniis porrò quæ in regum inauguratione solent adhiberi, diximus libro primo cap. 10, satis latè; quas tu vide apud Abulensem in hoc capite quæst. 37.

VERS. 35. — ILLIQUE PRÆCIPIAM, UT SIT DUX SUPER ISRAEL, ET SUPER JUDAM. Quò magis constaret Salomonem esse regem, jubet David, ut illum jam unctum et proclamatum solemnî formâ ad se deducant illi quibus datum erat negotii, ut ipse publicè Salomonis commendet regni tutelam et administrationem, et edicat aliis, ut illum tanquam regni caput amplectantur et colant.

Quæret aliquis cur, cum Juda sit una è tribus duodecim Israel, atque adeò in Israelis communi nomine contineatur, numeretur tamen seorsum ab aliis. Sed est responsio non difficilis, ex illâ regulâ quâ usi sæpè sumus, quæ docet illa quæ in aliquo genere maximè excellent, licet sub generali atque communi conti-